

ECLOGA
IN FVNERE

ILLVSTRIS ET MA-
GNIFICI DN: DOMINI
STANISLAI COMITIS à GORKA,
PALATINI POSNANIENSIS; BVSCEN-
SIS, GNESNENSIS, VSCENSIS, COLEN-
SIS, &c. CAPITANEI: AC SACRATISSIMÆ
Regiæ Maiestatis POLONIÆ Senatoris grauis:
qui ex comitijs Warsauiensibus discedens, in
BLONIA oppido, à Warsauiā 4. mill.
distante, placidè obiit, decan-
tata & consecrata

à
MICHAELE HERMANO,
Sagano, Silesio.

XXX
POSNANIAE

Anno M.:D. XCH.

Hof. Cant.


MAGNIFICIS
DOMINIS,

DOMINO ANDREAE,
Castellano Camenensi, & Capitaneo
VVladislaviensi, &c.

DOMINO PETRO,
Succamerario Posnanien-
si, &c.

DOMINO STANISLAO,
AC DOMINO JOANNI,
à Czarkovv, Baronibus, Fratibus
Germanis, Dominis suis
Gratiosis.




Lustres Domini, generosi stirpe BARONES
CZARKOVIA, Aonidium fida columna Chori:
Qui numeratis auos per secula multa vetustos
Et retrò proavos Marte togâq; viros:
Maxima queis parent commissa negocia rerum:
Dum datis hic patrio mitia iura solo.
Adsit is placidi, nec spernite carmen agreste:
Paupere quâq; damus vilia scripta manu.
Ac licet haud prestans: sed munus inane feramus:
Conueniant tantis dona nec ima viris:
Offerimus tamen his extinctum GORKA celebris
Queingenuit Comitem, Magnanimumq; Ducem:
Hac ego cum prastem, decoremq; poemate Auunculum:
Ob patria fuerat qui pia facta pater.
Vos, precor, ô Musis, faciles estote, BARONES
Magnifici; sacra lausq; decusq; Lyra.
Nota sed est quoniam clementia vestra politis
Doctrina; in summis quam decet esse viris:
Cumq; regatis onus tranquilla pace paternum:
Ac foueat doctos aula benigna Choros.
Iudicio spes est vestro me posse probari:
Dum refero magni tristia fata Ducis.

Hoc ergò vobis commendo precorq̄, BARONES

Ne querulum dura fronte legatis opus.

Si placuisse meas sciero de funere Musas

AGORKA COMITIS qua cecinere pij.

Mox generis clarum vestri memorabilis ortum:

GORCLADVMq̄ canam praelia, facta, domus.

Viuite Magnanimi, iunctissima pectora, fratres:

Et iure acceptas nunc regitote plagas.

Pax, amor, una fides, similis mens, una Voluntas:

Mutua cura omnes, mutuus ardor alat.

Sic caelestis honos: sic laus ornabit utrumq̄:

Nescit nobilium fama latere Ducum.

Magnif. V.

Vera animi submissione colens

Michaël Hermanus

Saganus. S.

ECLOGA

DE MORTE ILLV-
STRIS, ET MAGNIFICI
DOMINI, DOMINI STA-
NISLAI COMITIS

a GORKA, &c.

Stimichon. Philetas.



Ppida, rura, domus, villa, arcesq̄; atria Regum:
Moena luctitionis dic cur clangoribus alta
Sarmatico fundata solo, reboât nûc ore Phileta?
Vndique cur campis arguta è turribus altis
Ictibus æra sonant? cur nunc lalemoq̄; repletur
Vndique triste nemus, Valles, collesque supini?
Vnde per & sylvas, agros, & flumina voce
Ingeminat mœsta luctus resonabilis Echo.
An grauis est turbæ quam claudunt moenia structa
Alcimedontis opus diuini, caussa dolendi?
Eia agè, si poteris, curarum fluctibus actam
Exolvas dubijs mentem. BLONIA vrbe relicta
Nam te ferre pedes reor huc perchare Phileta.
Ph. Vaticidicæ, Stimichon dulcis, præfagia mentis
Designare mali quiddam (nec opinio fallit)
Perfacile ex dictis concessero. Namque profaris
Non secus atque Conon mihi verba simillima vero.
Non si tot planctus, Eheu, suspiria, questus,
Singultus, gemitus, lacrymasq̄; per ora cadentes
Quot vehit vndarum qui nostros alluit agros
VARTA, hunc moerorem dirum qui strangulat intus

Pectus; & horrendis corpus cruciatibus implat
Dicere deformi tamen ah vix gutture possent
Ceu Progne; facto casulas velut agmine nostras
Tot cingunt; quas nunc concretas frigore cernis
Damna, dies (superi dent) craftina prospera fulge.
S. Cur ita me socium, qualis sit casus acerbus
Coolas, quem deflet currens per compita turba
SARMATA? quòd pariter pueri, innuptæq; puellæ:
Pectora nunc matres pugnis; nunc vnguibus ora
Foedant; ac toto proiectæ corpore terræ
Sternuntur, guttisq; humectant grandibus ora:
Canicemq; senes deformant puluere foedo
Aclamantantur? non sit narrare molestum
Ah quid fata ferant: rodit præcordia moeror
Qui grauis: Ah quænam formido tetra, dolorq;us
Sæuus, sollicito latitat sub corde premitq;ue
Paucis expedias verbis, rogo, dulcis amice.
Moerores animi tristes, sensusq;ue dolorum
Effundi lacrymis, tenerum Sulmonis alumnum
Qui fertur passim, memini mihi dicere Vatem
Et benè vix memini. Nam non sunt talia curæ
Pastoriquè gregis pecudumq;ue ouiumq;ue Magistro.
Egeritur muktum turbatæ angustia mentis
Triste furens ceditq;ue malum quando imber aquarum
Decidit, & mala Vicini Vicinus & alter
Noscit. Quæ petimus nobis expone Phileta
Idcirco, ipse Chelyn ferias prostratus in antro
Luctisonam; ruta nunquam marcente niuali
Quod tegitur Bruma, Boreæ cum frondibus hortos
Vis agitata trucis priuat. Pastoria Musa
Compefctet gemitus, dabit ac ad carmina vires.

Ph. Haud

Ph. Haud leuis ah Scimichon dilectæ portio mentis
Quam fragiles sunt res hominum, quantisque rotantur
Cælibus, ah quàm nunc rabies coeliq;ue marisq;ue
Impruit; horribili contulitans frigore terram
SAVROMatum; subito fuscans præsentia pridem
Gaudia vix fausto raris captata colonis
Sydere; quàm vexat, precor, inclementia fati.
Compulimus portum NAVIM vix sæpe petiturum
A GORKA, patuli fulsit fax publica mundi
Lumine vix claro: NAVIM vix NAVITA vouto
Addexit dextro; nostris est redditus oris
Vix tandem Rex, Rex regni Diademate cinctus:
Ennoua pernities impendet ouilibus: Auster
Imbuiteras glomerat nubes, dum spirat olympo
Humidus, estq;ue freti sub cærule meris Orion
Æquora: conscendunt cauda cornuq;ue minacis
Frigida signa: maris primum cum gurgite vatti
Effert ora, diem radijs Eous Apollo
Adducit; sæuo turbant terramq;ue tenacem
Exortu. Hei mihi nox nigris complectitur alis
Vndas: hei fluctus violentus turbine Nereus
Compulfos eiet: hei repetit lugubria Nauta
Verba subinde dolens, Æpolus quejs accinit vnus
Ah dolor, ah stirpis decus & lux vltima GORKÆ
Occidit, ah patriæ spes maxima, certa Polonum
Gloria, contorsit squalentia spicula CLOTHO
HEROI, heroum generoso sanguine creto.
Temperet à lacrymis duris è cautibus horrens
Quem genuit scopulus noto cognomine dictus
Caucalus; insanum mare reddat murmura sueta

Non

Non prius extinctum crudeli funere deflens.
 S. Hei mihi quid memoras? fato præreptus iniquo
 GORCIADV M illustris Comes; & qui maximus Heros:
 Mente Hector; cantu Bromius; sapientia Vlysses:
 Imperio Cimon; nec non Theodosius alter:
 Quo viuo stabat regnum, regnumque vigebat
 Consilij: & nos aliquod nomenq; decusq;
 Gessimus; hei extincto Regni detractus habenis
 Solpenitus; Regniq; videtur lumen ademptum.
 WARSAVLÆ, è Medicis, celebrato dicere quendam
 Conuentu, nuper rebus poscentibus vltro
 Corporis huic COMITL vires, saluumq; Vigorem
 Non fore per multos menses, his auribus hausi.
 Nunc animus primum (Nam non ego credulus illi)
 Hæc meminisse horret, luctuq; premente recedit.
 P. Heu nimium verè dixit sacer illa Propheta
 Respondit Medici prædictis exitus heu, heu:
 Non tot sæua lues pollentes ære patronos
 Si secum raperet nobis incommoda ferret;
 Vnius secum quot mors trahit ah DEVS, ah, ah,
 Ah COMITIS, partim quæ postera sentiet ætas:
 Nouimus & partim qui tristi hoc viuimus anno.
 At qui res hominum mortaliaq; omnia summis
 Imperijs regis: atque tuo sub numine torques
 Mi DEVS, ô turbæ clemens miserere precantis:
 Sis bonus, ô felixq; tuis, sperare salutem.
 Namque vides in te, fata, aspera fata, retunde.
 S. Cecropiæ volucres varijs quæ floribus horti
 Hærent, si forsân Regem contagia pestis
 Corripuêre suum; fugientes Dædala recta:

Cereæ.

Cereæ castra: fanos: nec mens est omnibus vna:
 Nec paci iucumbunt; neq; tunc purissima mella
 Fingunt: sed strepitu saltus syluasq; peragrant
 Multo: moxq; cient certa sine sede, vagantes
 Bellum. Quid nunc eueniet? crudelis vbiq;e
 Luctus vbiq;e pauor, quin plurima mortis imago.
 Quid nunc eueniet? quæ dira pericla ministrat
 Filia sæua Iouis pastoribus omnia ATE?
 Dum non Vitali noster DVX vescitur aura
 Qui caput vnus erat pastorum, vita, salusq; nec
 Incolumesq; sui seruabat corporis artus.
 Ph. Vt Stimichon pecoris pastore vagatur abacto
 Per syluas, per saltus, per nemora vndique Ouillus
 Grex nec ad herbas est ipsi remeare Voluptas:
 Sic nunc in triuijs ciues, pariterq;e coloni
 Currentes miserè sanctis sine legibus errant.
 S. Ergo velut Volucres stillantes roscida mella
 Mellificæ, exequias ducunt & funera lugent
 Regis; nec liquido distendunt nectare cellas:
 Nec thyma, nec militoton amant, serpillaque gratas
 Nec flores, casias, ferrugineosq;e Hyacinthos:
 Nec glaucas salices: sed murmura moesta susurrant
 Vndique certatim, resonant apiaria bombis
 Ipsa etiam grauib. GORKANO soluere nostro
 Sic decet inferias COMITI, decorare sepulcrum,
 KVRNICII extractum quo conditus ipse quiescet.
 Ph. Imò ceu densa moerens Philomela sub vmbra
 Amissos queritur foetus quos durus arator
 Obseruans nido inplumes detraxit. at illa
 Flet noctem; ramoq;e sedens miserabile carmen
 Integrat, & moestis latè loca, questibus implet.

B

Sic

Sic ego funereum tenui meditabor auena
Carmen, tu patulæ scribas in cortice fagi.

TRISTIA nunc Dryades mecum suspiria ducant;
Moenalidæ, Fæuni, fatyri, facilesque Napeæ:
Naiades, & valles; colles, pastoria tecta:
Nec non aggeribus circumdata moenia firmis:
Non ager ante velut producat cultus aratro
Pingues natorum segetes, alimenta colonis:
Deneget armentis tellus quoque pabula nostris,
Deneget & flores hortus, medicamina tuta,
Atque saluæres herbas mortalibus ægris:
Purpureasque ferant nunc non auaritia baccas:
Per Virgulta sonet latis concentus in aruis
Nullus: & immitis nunc fletibus irriget ora:
Vrsus: syluestres vri: capræque petulcæ:
Et Leo Magnanimus ploret, formosa Iuuenca
Tristia nunc recinat suppressa murmura voce:
Nec Ceruus nemorum possit meminisse; nec herbas
Denique naturæ totus nunc lugeat ordo
Quod decus ô nostrum crudelibus occubat umbris.
Vos etiam lymphæ, voco testes, ipse MONarcha;
Vix vbi transierant quarti confinia lustris,
Quas hausit: dum Marte ferox effusus in agros
SARMATIÆ irrumpit, ferro populatus & igne
Limitem agit Moschus, prosternens omnia strage:
Tu SIGEMVNDE animi præstans qui clara parentis
Æneadæque refers AVGVSTI nomina Rex, hunc
A GORKA COMITEM vidisti è millibus vnum
Multis magnanimum munitas ducere turmas
Pro patria, pulchramque pati per vulnera mortem.

Ab.

Ac postquam celebri congressus clade cruentos,
Perdomuit, MOSCHOS, & tristibus exiit armis
MOSCHOS, belligerum genus, atque è stipite natum.
Vos inquam lymphæ testes: Vos namque recordor
Stillantes scopulis sinuoso tramite vestro
Vos cecinisse Daci (quo non præstantior alter
SAVROmotos inter) lugubri gutture questus:
En extincta iaces multos dominata per annos
Stirps antiqua, potens, à GORKA illustribus ausis.
Ah ah tota iaces, nunc ast non viuida VIRTVS;
Non pietas, non religio; non parta trophæa;
Te capiat quamuis culmen bipotentis olympi
Illustrem Heroem; tua gloria firma virescit:
Dumque colentur agri, dum mundus secula voluet:
Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt:
Quid memorem doctas circû vaga flumina Nymphas
ALBIDOS herbiferi? quas hæc de corde querelas
Largiter effundunt, quam non solatia eurant.
Namque tener Iuuenis, florens & mollibus annis
Hinc proci vmbrosis antris requiescere suauem
Ducebas, errans, Charites coniungere Musis
Tentans, Castalioque haurire è fonte liquores,
Sæpe melos blando cecinisti gutture dulce:
Insuper atque SCHOLÆ referunt te sceptra tulisse
Quod celebris dicat LEVCOREA, iure verendo,
Et Iouis æquam manus fert corripuisse feroces.
Non aliter (si parua licet componere magnis)
Cecropias compefcit apes, Dominusque gubernat.
Ah non debebant te fata tulisse suprema.
O Cediæ penes; ô myriam tua digna iacere
Ossa, nec absumi rodentibus anguibus vnquam.

B 2

Sic

Sic *Lymphe* numeros *sacræ* concentibus *Echo*
Reddebat *finitus* plorans *COMITIS*q; *Ducis*q; *que*
Quid? *SIGISMVNDVS* regni *Diademate* fulgens
Rex, en, hunc *plorat* *COMITEM*, regniq; *senatus*
Præstans defunctum *deflet*; *dant* signa *doloris*
Tristia magnanimi *PROceres*, & *fortibus* ausis
Quid uè *PALATINOS* dicam, *celebres*q; *DINastas*.

Hunc *fleat* *WIELENIDES* *tristissima* numina *Nymphæ*
COSMINVM, *TVROBIN* *fleat* hunc: *flet* *Russia* *tellus*
O COMITEM. *Imperio* nam *præfuit* ipse *ferantur*
Ve *magnis* *Coeli* *ad* *fulgentia* *laudibus* *aftra*
Iussa *verenda* *DEI* *summi*, *VERBI*q; *ministros*
Artibus *addictos* *sacris* *ut* *fortia* *fouit*
Fulsa *sui* (quibus *haud* *se* *posse* *carere* *putabat*)
Imperij, *promptus* *caput* *obiectare* *periculis*
Proque *DEI* *cultu*, *non* *o* *non* *ferre* *negauit*
Mille *necos*, *rebus* *propè* *versis*, *mille* *ruinas*.

Quid? *quod* *decedens* *terris* *super* *aftra* *ruenda*
IUSTICIA, *hunc* *dignos* *imitatum* *principe* *mores*
Heu *gemit* & *fuerit* *quod* *seruantissimus* *æqui*.

Astoris *nam* *cum* *Vox* *reddita* *fertur* *ad* *aures*
Altera *clausa* *reo* *est*: *non* *huius* *dicta* *superbas*
Illius *nec* *dicta* *negans* *dimittere* *in* *aures*:
Pellæus *veluti* *Iuuenis* *cui* *paruit* *orbis*
Rex *Macedum* *fertur* *patulis* *non* *auribus* *ambos*
Accusantem *vna*: *dein* *vna* *audisse* *nocentem*.
Haud *aliter* *cuius* *coram* *data* *copia* *fandi*
Notus, *an* *ignotus*, *ciuis*, *peregrinus*, *an* *exul*,
Nobilis, *an* *de* *plebe* *humilis*, *discrimine* *nullo*.

Ah *varia* *Virtute* *potens* *licet* *horridus*, *asper*:
Ast *visu* & *facilis*; *dictu*q; *affabilis* *vltrò*:

Et:

Et *quis* *cuncta* *queat* *COMITIS* *præconia* *notis*
Summa *sequi*? *numera*q; *&* *nomina* *dicererebus*?
Quæ *qui* *scire* *velit*, *versus*q; *prehendere* *tentet*:
Ille *prius* *Lybico* *quàm* *multæ* *littore* *arenæ*
Turbentur, *mare* *veliuolum* *voluentibus* *Euris*
Quàm *multi* *Ionio* *furgant* *super* *æquore* *fluctus*:
Hermi *quot* *campo* *gravidæ* *iacentur* *aristæ*:
Sidera *quot*q; *micent* *puro* *numerarit* *Olympo*:

Ah Ah *præclaris* *COMITEM* *Virtutibus* *auctura*
Interijisse *dolent* *merito* *Virtutis* *amantes*.

Ah Ah *Thespiades* *deplorant* *fata* *sorores*
Tristia *subsidijs* *quia* *sunt* *præsentibus* *orbæ*.

Heu *sed* *quas* *lacrymas* *fundit* *moestissima* *GORCÆ*
CVRIA, *quàm* *gelidis* *genibus* *caput* *ægra*, *gemens*q;
Heu *sedet*: *ipsa* *sibi* *morbos* *contraxit* *amaros*
Dudum, *fecit* *amor* *properata* *morte* *perempti*
Vulnera, *nec* *tantum* *Halcyone* *Ceyca* *maritum*,
luxit *ibi*, *COMITEM* *quantum* *hic* *sacra* *curia* *GORCÆ*

Heu *tristi* *POSNÆ* *foedatos* *funere* *vultus*
Moesta *refert* *pasis* *ad* *coelum* *Ecclesia* *palms*
Exul, & *infandis* *exhausta* *laboribus* *ægram*,
Vix *animam* *trahit*, *ac* *tremulo* *vestigia* *gressu*
Est *occumbenti* *similis*, *genua* *ægra* *labascunt*.

Heu *quid* *KVRNICIVM*? *sortem* *deplorat* *iniquam*
Seq; *suo* *superesse* *dolet*. *COMITI*q; *patri*q;
Et *prius* *ipsum* *mallet* *subijisse* *sepulchrum*,
Funeris *exequias* *quàm* *nunc* *spectare* *dolendas*
Heu, *eheu*, *Stimichon* *sine* *spe* *sine* *fine* *dolendas*.

Tandem *quid* *referam*? *nil* *nunc* *non* *triste* *videmus*
Plorat *ager*, *plorant* *campi*, *plorant*q; *coloni*:
Funeris *pasis* *plorant* & *vocibus* *vrbes*:

E 3

Heu.

Heu COMITEM a GORKA, dū reddunt fylua, nemisq;
 Heu COMITEM, COMITĒ, per iniqua morte perempto
 Heu vix praegrands dolor hic curabitur olim
 Pastor Aristeus cum nostra redibit in arua
 Pectore quem solers fortem natura ereauit:
 Ingeniumque capax cui nomen amabile ruris
 Concessit. Valeas, tua molliter ossa quiescant
 KVRNICII, generose COMES, dum sanguine candes
 Lustratus sacro CHRISTI de vulnere fuso
 Coelicolum coetu: tibi VER iam spirat in vrna
 Aeternum, celsa cum viuis in aede beatus:
 Larga vbilati fluo passim torrente redundant
 Gaudia; nec fines nouit diffusa voluptas:
 Viuis Magnanimos spectans pius ipse priores
 GORCIADĒ stirpis fama super aethera notos
 Ob varias pugnas; ob Martis bella cruenti.
 Nec grauis impositus lapis vrgeat ossa: nec vnquam
 Busto feralis ferali carmine bubo
 Cantet: sed regina auium Philomela canendo
 Praestans; perpetuo niuei dent corpore cygni
 Dulcisonos per colla modos, seruentque sepulchrum.
 Salue magne comes, magno decus addite coelo:
 Qui fragile hoc Regnum, quondam, laesumque Columna
 AVGVSTO, iam iam mole, & culminibus ipsis
 Nutans; tollebas humeris, ingentibus ATLAS.
 Salue magne COMES; Regi nam fidus Achatēs
 Iunctus eras STEPHANO; qui solus vt arbiter esset
 SARMATIĒ; solus rerumque teneret habenas
 Mansisti in fragilis, lecto, solusque relictus
 Huic Murus: salue, Regni spes, lumen, asylum
 SARMATICI, fulcrum, columen, salue, anchora, portus:

Aetq;

Aeternumque Vale Gentis lux vltima GORKĒ.
 Flebilibus Iuuenis modulis tunc tale Philetas
 Cantabat carmen; cum velox vesper Olympo
 Iret, equi prone peterent, & Thyos vndas
 Iam temone poli circum loca luce micarent:
 Astraque mox visit Stimichon pastore monente
 Et sobolem, dulcemque Aeglen, patriosque penates.



CHRONODISTICHA
 DVO, QVIBVS ANNOS,
 Menses, Dies obitus & sepultura Illustru, & Magni-
 fici Dn. DOMINI STANISLAI

Comitis a GORKA, &c. com-
 prehenduntur.

Vt CaeLo oCtobris VICesIMA nona refVLsle
 LVX, a GorCa Heros tristia fata sVblt.

A L I V D.

FVLget Vt aXe Dies IanI VIGesIMA qVinta
 Fert IVsta Herol, gens generosa, bono.





MF 41453

Hermaan Michael

Ecloga in funere Stanislai a Gorka palatini Posnaniensis, qui ex Comitibus
Warsaviensibus discedens in Bolonia oppido placide obiit
Poznań, [Wdowa i dziedzice Jana Wolraba], 1593 4^o

BU Wrocław 355871

MIKROFILM 35 mm

1+1 - zwoj

pozostaw zwoj